
ARGUMENTVM.

Socrates, offendens Alcibiadem ritu sacrificantium coronatum, rogat, num precandi causa Deum adiret; hocque respondente: precandi causa: demissis, inquit, oculis terram spectas tanquam apud te aliquid perpendens. Alcibiades autem, quia negat, se intelligere, quid homo precaturus apud se perpendat, inde Socrates sumit occasionem de precibus disputandi, atque multo cum periculo dicit coniunctas esse preces, quum Dii ita adfecti esse possint, ut ea, quae precibus flagitaremus, in poenae loco nobis concederent. Imprudentes enim mala precari possemus bona putantes, ut Oedipus. At hominem, inquit Alcibiades, dicis insanum; qui sanae mentis sunt, ab eiusmodi precibus longissime absunt. Cui quidem obiectioni Socrates ita occurrit, ut ostendat, multos esse gradus insaniae, summumque eorum solum insaniam dici, caeteros autem melioribus verbis nominari. Omnes enim, qui nescirent, quid agendum esset, quidque dicendum, esse insanos, indeque consequi, paucissimos esse sanae mentis; atque, quum hanc ipsam